



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

17. Quæ sunt corde ruminanda post matutinorum synaxim sabbato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

donec benedicat tibi. cætera fiant sicut in precedentibus feriis.

DE MATERIA MEDITATIONIS
sabbato post matutinalem synaxim.

CAPVT XVII.

Sabbato in oratorio positus, ac crucis vexil-
lo insignitus spiritu ad interiora reuocato vt
patuit feria secunda, forma tuas meditationes
considerans maximos dolores Dominæ nostræ
hoc modo: Attende igitur quòd si eius filius cu-
pis esse & eam tuam aduocatam, oportet te con-
dolere ei, quæ omni tempore vitæ suæ fuit ple-
na doloribus, angustiis, laboribus, & afflictioni-
bus: tota quippe eius vita fuit quoddam dolo-
rosum martyrium.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit suum benedictum filium in præ-
sepio vagientem, præ frigoris asperitate, nihil
bens quo eum operiret.

Idem in crucifixione: & in eo quòd Symeon
ei prædixit, quòd suam illius gladius animam
esset transfixurus: In fuga Ægypti: In triuoillio
quo eum quærens tandem inuenit in templo
in toto eius vitæ decursu, videns eum fame
aliis inopiis vexari, neque valens ei sub-
nire.

Cum vidit eum sæpè plorantem: cum quo
ipsa lugebat.

Cum vidit eum ex itineribus fatigari, fame
& siti cruciari: & docentem contemni, vilipe-
di, & blasphemari: & ad comprehendend-
ob-

obseruari, nunquid hæc non fuerunt ei immannissima martyria? reuera sic.

Cum toties audiebat eum de morte & passione sua loquentem: si enim Petro & aliis discipulis erat tam graue eum de passione sua loquentem, audire; quid putas dicendum de matre, quæ eum tam tenerrime diligebat?

Cum cognouit eum à Iuda fuisse venditum, à Iudæis comprehensum, & à discipulis derelictum.

Cum vidit de iudice ad iudicem trahi, & mortis sententia in eum data, crucem in humeris baiulare.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit eum in cruce, & audiuit eum in ea loquentem transfixo corde doloris magnitudine sui dilectissimi filij: & in agonia positum vidit spirare. Et cum de cruce depositum in suis sacrosanctis vlnis est intuita mortuum, & tandem vulneratum. Et cum cõspexit eum tumultuari, magnitudinem suorum tunc dolorum non est lingua quæ possit depromere.

Manens in cenaculo cum Ioanne & Mariis & aliis discipulis, qui postea superuenerunt, quomodo erant supra modum tristes, & afflicti propter mortem & passionem Domini die hesternæ celebrata: & ac si ibi adesses, intuere diligenter quàm moestum est videre quòd Dominum mundi & principes diuini exercitus, sic sint reclusi in quadam domuncula, pleni timore, amaritudine, & dolore.

Cum ad inuicem loquebantur magnis fletibus, & singultibus;

Cum

Cum discipuli aderant pleni pudore & confusione, eo quòd eum dereliquerant: & præcipue Petrus qui eum negauerat: omnes percutientes pectora sua postulantes sibi à Domina veniam præstari.

Cum eos verbis consolatoriis consolabatur & confortabat dicens, Magister bonus & pater fidelis discessit à nobis, & ecce manimus sicut orphani: sed firmiter expecto nos citius eum rehabituros. Vos scitis quàm benignus est filius meus & quantum vos diligebat, non dubitatis quia bene reconciliabimini ei, & libenter remittet omnem offensam. Tantus autem permissione Patris fuit furoris impetus cõtra eum, & ita præualuit malorum audacia, quòd non potuissetis eum iuuare etiam existentes cum eo, & ideo nolite turbari. Et quàm verecunde respondet Petrus dicens; Vere Domina ita estis dicitis: nam & ego qui tantam de me ipso confidentiam habebam, tanto in atrio Cayphæ timore percussus, vt vix crederem me euadere posse; & eum negavi nec fui memor verborum quibus hoc prædixerat mihi, quousque metaspexit.

Conscientia igitur frater tua per præcedentem meditationem stimulata cõuertere ad Dominum, petens ab eo veniam omnium peccatorum tuorum quibus toties eum negasti, quoties in eum deliquisti; & ad Dominam nostram cum omnibus aliis sanctis, sicut fuit præmissum.